


Zu einigen Comen sind aufgehalten.

1. C. S. Schurz fleisch. Res Prusorum. Wittenb.
o 1693.
2. Ejusd. Adnotata ad Res Prusorum. ibid.
eod.
3. M. Haynovius de situ Regiononti. Reg.
1687.
4. C. B. Gottsched de Ottocaro II. Rege Bohem.
Regiononti conditore. Lips: 1721.
5. J. F. Rohden Zeichnung der in Breitenstein
niedlichen Grab-Gruenb. Königsb. 1725.
6. C. F. Preusch de tumulis et urnis sepulchra-
ribus in Prussia. Reg: 1724.
7. M. Haynovius de Insignibus Prussia. Reg:
1712.
8. et. Columbus de Columna Ostroholensi Prussia
et Lithuaniae termino. Reg. 1712.
9. J. F. Rohde de Ruderiensi proelio et statua.
Reg. 1721.

10. Idem, de Statua quatuor fratrum. Reg.
1717.
11. Idem de Celebri spectro quod vulgo in mis-
erere nominant. Reg. 1723.
12. M. C. Hanow, de Sibicernio veterum curio-
num. Ged. 1728.
13. C. Langhanssen de mensuris regni Prusiae
hodiernis. Reg. 1717.
14. M. Gehrkene de Lingaris regno Prusiae
paolois. Reg. 1708.
15. S. F. Fanichen memoria facularis urbis
Thorunensis. Thorunii 1731.
16. Relation von der am Rittergut Gabor
vollzogenen Execution. Reg. 1725.



*ant
7 19*

EXERCITATIO HISTORICA,
DE
**IN SIGNIBUS
PRUSSIÆ,**

Quam
**AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN INCLYTA ACADEMIA REGIOMONTANA,**

Anno Domini MDCXCIII. d. Januar.

In Auditorio Philosophorum.

*Publico Eruditorum iudicio
exponunt*

**M. MICHAEL HOYNOVIVS,
Scholæ Löebnic. Rector,**

&

**HEINRICUS SIVERTZ,
Philosoph. Studios.
Dantiscanus Prussius.**

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS. 7.

VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS
DN. DANIELI GRAUPPIO,
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
Consiliario, & Rei Culinariæ Supremo
Præfector Meritissimo.

Ejusdemque

GENERO FELICISSIMO,
DN. FRIDERICO KUPFER/
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
Consiliario Aulico, Cameræ in Prussia Præfector, & Bellicarum
nationum Commissario maximè conspicuo, Districtuum Lithvanicorum,
prædiorumque ad privatum Principis Dominium attinentium In-
spectori Vigilantissimo æq; ac Prudentissimo,
Hæreditario Domino in Speichersdorff, Alveyden, &c.

Mæcenatibus ac Patronis suis omni Venerationis
cultu prosequendis,

Ut &

NOBILISSIMO atque SPECTATISSIMO
DN. HENRICO SIVERTZ,
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
Rei Monetariæ Præfector Fidelissimo,

Parenti filiali obseruantia æternum Honorando,

Specimen hoc Academicum in studiorum suo-
rum commendationem, inque testimonium grati-
animi cum Voto felicissimi Novi Anni

submisso offerit

HENRICUS SIVERTZ,
Philos. Studioſ.

Schema I

ad S. II.



Schema I ad §. II.



Sch. II ad §. V.



Sch. III ad §. VI.



Sch. IV ad §. VI.



Sch. V ad §. VII.



Sch. VI ad §. VIII.



Sch. VII ad §. VIII.



Sch. VIII ad §. VIII.



Sch. IX ad §. X.




Sch. X ad §. XII.



Sch. XI ad §. XII.







 Onstituto nobis in Dissertationem Academicam argumento de Insignibus Prussiæ, præmittimus brevem considerationem Originis Insignium, inquisituri, quæ causæ fuerint, quod gentes ac urbes, Reges, Principes, aliaque illustres personæ, nunc hæc, nunc alia signa, in scutis clypeisve, cælata, sculpta, aut picta, armorum gentilium & characterum publicorum ministerio inservire voluerint: ut inde simul judicari queat, quæ occasione insignia ista, quorum memoratio deinceps instituetur, & quæ adhuc in monetis, imaginibus, vexillis, sigillis, nec non frontispiciis arcium ac urbiuum, alibique passim observare licet, Prussiae vel integræ, vel divisæ primo sint applicata. Dicuntur autem Insignia, voce ab æquivoco sensu liberatâ, symbola certarum rerum ad significandum alicujus statum distinctum ab alterius simili conditione introducta. Sub hac explicatione insignia dignitatum, Rerumpublicarum, Officiorum, Familiarum & Personarum commodè comprehenduntur, utpote cum singulis his principes finis Insignium, modo expressus, nempe distinctio unius ab altero, competit. Finem hunc Auctores Insignium præci-pue intendisse, vel Chorœbi vox apud Virgil. Lib. II. Æneid.

Mutemus clypeos, Danaumq; insignia nobis

Aptemus,

indicare potest. Observant hic Interpretes, in clypeis Græcorum Neptuni, & in scutis Trojanorum Minerva effigiem delineatam fuisse, ut adversæ acies istis tesseris invicem descernerentur. Cœterum, quemadmodum insignia diversas gerunt

ima-

3
imagines: sic non easdem omnia origines agnoscunt, è quibus nonnullas tantum recensebimus.

§. II.

Prima est *Religio*, quæ cum duplex sit, alia vera, alia falsa, ex utriusque fontibus deducta exempla sistimus. Judæi memorant, Davidem Regem insignis loco gessisse duplex triangulum, opposita ratione sibi implexum, cuius apicibus nomen Dei fuerit insculptum, medio spatio vox hieroglyphica אהיה גבור אמלא quæ in plenas dictiones resoluta sonat לעלן ארני *Tu fortis es in eternum Domine!* Hoc signo in præliis feliciter usum esse, & propterea Deum in Psalterio secundum suum aliquoties vocare arbitrantur. Conf. Schikard. in Procœm. Libri de Serie Regum Persiæ p. 54. ubi imago ejus insignis, quam Schem. I. sistimus, exhibetur. Certior traditio est, Judam strenuum illum Judæorum Ducem in vexillis suis literas מכבָּי (à quibus num nomen Maccabæi fortitus fuerit, cum Scaligero contendere jam non vacat) gessisse, quæ per רת significant *Quis tibi similis est inter Deos Domine?* Ex. XV, ii. Propter eandem causam Gentiles Deorum suorū nominibus ac imaginibus naves exornare solebant:

— — — *Jacet ipse in histore, & una*

Ingentes de puppe Dei. Pers. Satyr. VI. 29.

Et Virg. Lib. X. Æneid.

— *aurato fulgebat Apolline pappis,*

quia Apollinis tutelæ erat commendata. Geminis fratribus, i. e. Castori & Polluci hic honor præcipue deferebatur, de quibus Horatius:

Clarum Tyndaride fidus, ab intimis

Quassas eripiunt equoribus rates.

Unde & navis Alexandrina, cui se S. Paulus commisit, Geminorum effigie decorabatur Astor. XXVIII, ii. Nam Gentiles credide-

diderunt, fratres hos immortales esse factos, vocantes illos Deos
maris, & propter hoc eorum Insigne babebat illa navis, scribit
Nicol. Lyra in h.l. Ad eandem scaturiginem deferimus, quod
urbs Trevirensis imaginem S. Petri, Hala Hannoniæ effigiem,
Virginis Mariæ, & Colonia Agrrippina tres coronas, in hono-
rem trium Magorum, quos à se possideri, & Reges fuisse credit,
Insignibus suis inserant.

§. III.

Secunda *Nascendi conditio*, cum ea quæ personam, tum
ista, quæ regionem comitatur. Illam observaturus Willegi-
sius Archi-Episcopus Moguntinus, rotam & suum & Moguntinæ
sedis Insigne esse voluit, quoniam patre rotarum Confectore
erat ortus. Vid. Wolff. *Centen. XIII. f. 56.* & Picard. *Decad. IV.*
Observ. c. III. Hanc expressuri Ægyptii Crocodilum, Thebani
testudinem, Chii spicam, Granatenses novem Granata, seu
mala punica, Brasilienses quidam conos sacchari, Islandi asel-
lum pisces insignibus suis inseruerunt, ut his abundare regio-
nes suas significarent. Tertia *Ambitio*. Istam ut exsereret
Clearchus Heracliensis Tyrannus, ad Jovis imitationem auream
aquilam sibi præferri jussit, purpureamque vestem, auream co-
ronam & cothurnos pro insigni habuit. Antigonus ut Bac-
chum referret, hederam capiti pro diademate applicuit, & pro
sceptro thyrsum gestavit. Alex. ab Alex. Lib. I. Genial. Dier.
c. XXVIII. Quarta *Donatio*. Mos erat Mauris, ne quis eis im-
peraret, priusquam Romanorum Imperator ei principatus insignia
dederit. Procop. sub fin. Lib. I. Histor. Vandal. p. 62. Edit. Grot.
Ita Carolus V. Imperator Georgio Sabino primo Academiæ no-
stræ Regiomontanae Rectori insignia concessit clypeum cœru-
leum, & in eo Pegasus candidum ex nubibus volantem, alis in
altum porrectis. Exemplum instrumenti hujus Cæsareani le-
gere licet apud Petrum Bertium L. III. Comment. Rer. German.

p 18. & seq. Christophoro Columbo propter novi orbis detecti honorem Ferdinandus Rex insigne offerebat globum mundanum, impositâ cruce rubeâ, Limn. Jur. Publ. VI. 6. 95. Quinta *Casus singularis.* Sic quoniam Alphonsus Rex Portugalliae quinque Regulorum signa uno prælio in potestatem suam transtulit, ex eo tempore Regum Lusitaniae insignia in clypeo cœruleo quinque alia scuta minora esse coepérunt. Joh. Maria na Lib. X. de Rebus Hispan. cap. XVII. p. 442. Pari modo cum Sec. XIV. Austriaci magnam cladem passi essent, candidum clypei sui campum sanguineo colore notarunt, teste Alberto Kranzio Lib. IX. Vandal. c. XIX. Sexta *Allusio ad nomen.* Admodum fecunda hæc est vena, utpote ex quâ plurima insignia deduci artis Heraldicæ Scriptores observant. Hinc urbes & oppida pleraque, quæ à burgo seu castro derivantur, castrum vel arcem in insignibus gerunt, ut Hamburgum, Lüneburgum, Magdeburgum; quæ à ponte pontem, quæ à monte montem. Similem personæ ac familiæ fovent consuetudinem. Nam apud Italos Alciati aleem, Columnii columnam, Castiliones castellum, & Turriani turrim insignibus suis inserere deprehenduntur. Septima *Arbitrium proprium.* Secundum hujus legem insignia vetera novis permutata, item à viciniis, à confœderatis, imo ab hostibus mutuata fuisse passim legitimus. Ægyptiorum insignia præcipue hoc cardine vertebantur. Nam Regum suorum capita nutric Leonum, nunc Taurorum & Draconum, mox arborum, mox ignis figuris circumdabant. Fluxit inde fabula, Proteum Regem Ægypti se in varias animalium & rerum inanimatarum formas transmutasse, Diodor. Sicul. Lib. I. Biblioth. Histor. cap. LXII.

§. IV.

Hæ sunt potissimæ insignium causæ, ita comparatæ, ut plures unâ aliquando ad indicandam symboli alicujus originem.

nem servire queant. Sunt enim nonnullæ invicem cognatae,
aut minimum non oppositæ, quas ad indicandum communem
fontem concurrere nihil impedit. Illud insuper facendum est,
non omnes quæ de origine insignium proponuntur quæstio-
nes, plenam admittere decisionem. Exempli locum subeat
vexata de primis Insignia Inventoribus disquisitio, non ab-
milis illi, quæ de occulto magnorum fluviorum ortu excitatur.
Miris hic divortiis opiniones Auctorum invicem colliduntur.
Aliqui jam ante diluvium insignia viguisse, & Sethitas signa fru-
ctuum, Cainitas Symbola ex artibus, quas invenierant, gessisse
arbitrantur. Post diluvium Japheto navem argenteam, & Semo-
leonem tribuunt. Vulgata circumfertur opinio, cui R. Aben
Esra, Münsterus, Aldrovandus & Heiderius suum adjecerunt cal-
culum, inter tribus Israëlis Rubenis vexillo impressam fuisse fi-
guram hominis, Judæ Leonis, & reliquas tribus illas imagines
gessisse, quibus Jacobus liberorum suorum sortem Genes. c. 49.
distinxit. Herodotus Lib. I. Histor. f. 34. inter tria inventa Ca-
rica gentis refert, quod clypeis signa adjunxerit. Plinius Lib.
XXXV. Nat. Hist. c. III. ad Trojani belli tempora insignium ori-
ginem reducere videtur. Quidam apud Majolum Tom. VI.
Dier. Canic. f. 170. à Julio Cæsare initium sumpsisse putant.
Nonnulli Carolo Magno, quidam Henrico Aucipi, aliqui Fri-
derico I. honorem inventionis destinant. In hac & similibus
controversiis sufficit antiquitatem ostendere, cum primum mo-
mentū originis monstrari nequeat. Multa enim inventa in com-
muni vigent usu, quorū auctores ignorantur, qualia sunt: horo-
logium, campanæ, bombardæ, & organa Musica, si credimus Po-
lydoro Vergilio Lib. III. de Invent. Rerum. cap. XVIII. id obser-
vant. Quidni igitur hic obtineat effatum Livii ex Lib. III.
cap. 23. *Certum affirmare, quia nulla apud vetustiores scripto-*
res ejus rei mentio est, non assim.

§. V.

Propius jam ad propositam materiam accedentes, Prussiæ Gentilis & Christianæ insignia expendemus. Quo altius autem in inquirendis Gentilis Prussiæ insignibus per elapsi temporis intervalla oculos circumferimus; eo minus aliquid commemoratione dignum invenimus. Deficit hic Historia, propter defectum Scriptorum. Prussi gentiles, quos legendi scribendique peritos videbant, prope Deorum loco aestimabant. Adeo literarum rudes fuerunt, ut neç credibile putaverint, hominem homini per literas animum & voluntatem aperire posse. Conf. Joh. Ant. Magini pars II. Geogr. in descript. Polon. p. 148. b. Ac eti successu temporis animi quorundam incolarum Prussiæ liberalibus artibus ab exteris emolliti, ad memorabilia Patriæ consignanda studium contulerint; milites tamen Mariani vestissimos Prussorum annales igne deleverant, non secus atque olim Misnensium & Thuringorum fasti in favillas redacti sunt. Interim nonnulla instituto nostro accommodata temporis succedentis facies revelavit. Estios fuisse incolas Gentilis Prussiæ prolixâ probatione non indiget. Hos autem insignia certis descripta characteribus gessisse ex Taciti cap. XLV. de Moribus Germanorum docemur. Ergo jam dextro Svevici maris littore Estiorum gentes alluuntur. Matrem Deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omnig. tutela securum Deæ cultorem etiam inter hostes praestat. Observamus hic terribilium ejusmodi animalium figuræ propterea, scutis fuisse commissas, ut incole gentis bellicosæ sub imagine animalis terribilis repræsentata designaretur. Hinc Ursus animal calorem, Leo fortitudinem, aper celeritatem, robur & audaciam denotabat. Plures consuetudinis hujus causas allegat D. Theod. Höping, de Jure Insignium cap. IX. n. 542, & sequ. item n. 624. ac sequ. Apros vero præter Estios alios quosdam scutis

7

scutis suis inseruisse legimus. Ajacis rubeo clypeo duos aureos
apros Antiquitas fabulosa affinxit. Constat insuper Jonios ju-
niores gestasse aprum rufum residentem. Verisimile autem
est, non tam personarum, quam totius nationis insignie apud
Æstios fuisse aprum. Lucem hæc foenerari possunt ex illis, quæ
Philip. Cluver. L.I. German. Antiqu. c.XLIV. f.347. de Insigni-
bus Celtarum perhibet. Nobiles homines apud prijcos Celtas le-
tissimis tantum coloribus sua singuli distinxerunt scuta, at univer-
sis civitatibus sive nationibus augustiora fuere insignia, ut
inquit Diodorus, puta equi, tauri, ursi, lupi, cervi & aliorum
qua Germania fert, animalium imagines referentia. Hac autem
nulli nisi Principes civitatum & Duces exercituum in scutis gere-
bant, tabulis illis planis & lectissimis coloribus, i.e. familie, ex qua
Princeps vel Dux ortus erat, insignibus jam antea distinctis ad-
fixa. Posterioribus autem seculis hæc privorum quoq; nobilium
scutis adrepserunt, ipsorum Principum indulgentia. Et quoniam
observante D. Spenero Part. I. Theor. Insign. f.242. §.XLIII. aper
insignibus ratione situs semper pingitur gradilis, tali quoque, situ
Schema II. convestimus.

§. VI.

Aliud adhuc insignium Prussiæ Gentilis exemplum exhi-
bemus. Memorant Scriptores quidam, Waidevvutum Re-
gem Prutenorum vexillo & clypeo suo sequentes imagines im-
primi curâsse. Vexillum erat linteum, quinque ulnas longum,
& tres ulnas latum, cui tres figuræ mediâ sui parte intexeban-
tur. Prima Potrimpum præ se ferebat, Deum Prussorum, qui
imberbis latantisque juvenis facie conspicuus, caput spicis co-
ronatum habebat. Secunda Percunum, Deum tonitruum, in
imaginè viri mediocris ætatis effictum, crispâ nigrique colo-
ris barba ac capillis inhorrescentem, cuius caput flamma co-
ronabatur, & facies igneo rubore tincta tumescet. Ita se-
au-

autem mutuo aspicerunt, ac si ille hujus iram derideret. Tertia Picollum facie pallidi senis, cana, eaque prolixa barba præditum, fascia candida circa caput redimitum, & sursum prospicantem. Duo albi equi depicti tenebant inter se Regis clypeum, in quo cernebatur imago animalis prominentis corpore dimidio, quod caput ursi diductis faucibus formidabile, reliquis membris hominem ad umbilicum depictum exhibebat. Extremos vexilli & clypei margines ignoti quidam characteres adimplebant, prout eos una cum imaginibus ac descriptione fide Grunovii fretus sistit Henneberger. Comm. de Veter. Pruss. f. 21. Vid. Sch. III. In ea traditione ambabus manibus concedi potest, Prussos Gentiles imaginibus Deorum suorum scuta exornasse, quia gens hæc idololatriæ tenebris tuic prorsus obscurata, forsitan ea ratione Deorum protectionem adversus hostes se imploraturam confidebat, si suam erga illos venerationem publica imaginum pictura testaretur. Illud tamen dubio non caret, quod insignia commemorata Waidevuto Regi Prutenorum tribuantur. Nam, ut jam silentio tegatur ingens dissensus scriptorum, quo Seculo Rex iste floruerit, illud reticendum non est, dubitare multos, num unquam Prussia intra suos fines Regem aliquem Dominum habuerit, quorum sententiam confirmans Helmoldus Sec. XII. Historicus L.I. Histor. Slavor. c. I. Nullum inter se Dominum pati volunt de Prassis Gentilibus testatur. Et cum præterea narratio illa de Waidevuti insignibus nullius antiqui Historici autoritate nitatur, secura mente eam amplecti vix erit consultum. Eandem censuram promerentur insignia illa, quorum imaginem mox post initium Chronicæ sui Waiscelius apposuit. Depictæ ibi cernuntur duæ coronæ sibi oppositæ, supra quas fertum manibus duorum alatorum puerorum apprehensum eminent. Conf. Sch. IV. Addit Ibidem, Prussos Gentiles insignia hæc, ut ab hostibus conspicere-

rentur,

9

rentur, baculis affixisse. Si testimonium auctoris fide digni ad-
didisset, melius Lectori consuluisset.

S. VII.

Certiora documenta historia de Insignibus Prussiae ad rea-
ligionem Christianam conversæ suppeditat. Quamprimum
enim hæc in ista regione prædicari cœpit, etiam notitia rerum
memorabilium, veluti *ex cavea in scenam theatrum, produce-*
batur, ceu loqui amat Erasmus Stella in Dedic. Antiquit. Boruss.
Crux tunc Insignia Dominorum Prussiae implebat. Domini hi,
quorum Ordo Teutonicus à gente, Marianus ab Antistite, Cru-
ciferorum à signo dicebatur, ex tenuissimis principiis in exi-
miam dignitatem procreverunt. Fabulas vendunt, qui apud
Wolff. Centen. XII. Lection. Memorab. f. 426. & Polyd. Vergil.
L.VII. de Invent. Rerum. c. III. ortum Cruciferorum usque ad
Cletum Petri Apostoli Discipulum rejiciunt. Firmiori tibicine
nuntuntur alii Scriptores, qui ad Sec. XII. natales hujus ordinis
devolvunt. Originem iste liberalitati privatorum quorun-
dam, qui Christianis in terra sancta benè cupiebant; Confir-
mationem & splendorem Pontificibus, Imperatoribus, aliisque
Principibus debet. In eum autem finem instituebatur, partim
ut curam egenorum in terra sancta ageret; partim ut Christia-
nos adversus hostes S. crucis tueretur. Propter id propositum
Papa Cœlestinus III. insigne fratribus concessit album clypeum,
in quo crux nigra descriebatur. Imago ejus monstratur in
Waissel. Chron. Pruss. pag. 40. ubi insuper hi versus legun-
tur:

Bahst Cœlestinus recht der Dritt/
Dies Wapen hat getheilet mit
Dem Deutschen Orden/ daß sie frey
Erinnern sollen sich dabey/

B

Sie

Ste sollen strethen allezeit
Wol für das Kreuz und Christenheit/
Darüber wagen Leib und Leben
Und was sie Guts haben daneben. Vid.Sch.V.

Confirmavit ordinem & insigne Innocentius III. in Concil. La-
teran. Vid.Bartholom. Caranza Summ. Concil. p.m. 327. Etiam
Innocentius IV. Lugduni Cruciferis regulam conscripsit, ut sem-
per crucem manibus gererent. Conf. Centuriatores Magde-
burgenses (quos immerito *adversarios crucis* vocat P.Greg.Tho-
los. L.XII, de Rep.c.XVI. §.V.) Cent.XIII. f.997. Insigne hoc
successu temporis variis ornamentis locupletatum est. Nam
Johannes Rex Hierosolymitanus Hermanno à Salza quarto or-
dinis hujus Teutonici Magistro Anno 1219. concessit crucem
auream nigræ inserendam. Fridericus II. Imperator eidem
propter splendida merita donavit aquilam nigram in campo
aureo, quæ medium inter crucem nigræ & auream locum oc-
cupabat, ut Math. Waissel. in Chron.-p. 39. 45. & 46. testatur.
Rursus Ludovicus IX. Rex Gallæ Conrado Landgravio Thu-
ringiæ, quinto Ord. Teut. Magistro Anno Domini 1250. indulsit,
ut quatuor lilia aureæ crucis extrema exornarent, quod indi-
cant Rhythmi Germanici apud Henneberg. Comment.de Ver.
Pruss. lit. CC. 2. reperti:

Ich König Ludwig zu Frankreich/
Hab gegeben wülltlich/
Von meinem Wapen die Lilien vler/
Diesem Schild zu grosser Zier.

Exemplum insignis ejusmodi Schem. VI. exhibemus, observan-
tes, quod Crucigeri tali insigni ab ærata Corradi Landgravii
Thuringiæ usque ad finem ordinis sui in Prussia, quem §. XIII.
indicabimus, usi fuerint. Intelligendum hoc est de figuris
præ-

principis modo denominatis. Nam imagines minoris momenti non raro mutationem suscepisse advertimus. Sic residua areæ insignium spatia nunc stellis, nunc avibus, nunc aliis figuris, & latera angelis, viris, foeminitatis, vel feris exornata esse deprehendimus. Hæc inquam insignia erant ordinis, à quibus differebant Gentilia cuiuslibet Magistri insignia, quæ non necessariò cruce signabantur. Quanquam autem & lilia & aquila, & crux, insignia ordinis Teutonici impleverint: potissimum tamen insigne Crux tunc constituebatur. Ostendit illud vel sola Cruciferorum denominatio, in qua principis ordinis Character exprimitur. Idem evincit indignatio illa Sixti IV. Pontificis Romani, qui audiens Theodoricum à Cuba Episcopum Sambensem ab Henrico de Richtenberg XXX. Magistro Seculo XV. occisum fuisse, exclamavit: *Deleatur pessima illa nigra crux*, teste Waisse. Chronic. Pruss. p. 251. b. Nec aliud ostendit formula jurisperandi, quod Ludovicus de Erlichshausen, Magister Ordinis Casimiro Regi Poloniae præstítit, in quo negligita reliquorum insignium mentione, per crucem jusjurandum suscipitur. Vid. Privil. Pruss. Ducal, f. 23. b.

§. VIII.

Non negamus, adesse in historia Prussiae documenta, ex quibus aliquis colligere posset, etiam imaginem B. Virginis Mariae insigne Prussiae fuisse. Nam Otto de Karpen Magister Ordinis Teutonici Sec. XIII. asinum, quem Maria infantem gerens sedendo occupabat, & Josephus baculo fultus antecedebat, sigillum Ordinis esse voluit, quod usque ad tempora Friderici in usu viguisse statuit Waisse. in Chron. pag. 43. Data hic occasione, observationem, historiæ Patriæ cultoribus, forte non ingratam inferemus. Certum est, quod Waisseius & Hennebergerus antiquum Prussiae sigillum dicto modo describant. Interim diligens rerum Prussicarum Scrutator Cl. Hartknochius,

varia eis dubia moveris, part. II. Histor. Pruten. c. i. f. 259. sic tandem judicat: *Dass solch eine Form solte verhanden seyn / weiss mir niemand Nachricht zu geben.* Haud ita pridem tamen inter Archiva Curiae Palæopoleos Regiomontanae splendidum hujus rei inveniebatur testimonium, quod amicâ manu nobis communicatum, Lectori benevolo considerandum sistimus. Repertum nempe est Originale (ut vocant) Privilegii, urbi Regiomontanæ, à Fratre Conrado de Tierberg Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierosolymitani Magistro per Prussiam, Anno Domini 1286, prid. Kalend. Mart. concessi, una cum sigillo imaginem memoratam haud obscurè præ se ferente, prout id Schema VII. quantum fieri potuit, exprimit. Sigillum illud plenissimè describitur in Transsumpto Johannis Episcopi Samiensis Anno 1482, d. 29. Decembr. concepto (cujus Originale ibidem asservatur, & laudatum privilegium ad verbum repetit,) hoc tenore. *Literis originalibus (Conradi de Tierberg) appensum fuit in cordulis feraceis rubri & glauci coloris sigillum de cera viridi impressa capsa de cera alba communi, in cuius medio figura asini, supra quam imago beatæ Mariæ Virginis cum puerō & ante asinum stans imago Josephi, in una manu, videlicet dextra tenens frenum, in alia vero baculum supra bumeros portans apparebat. Literæ vero circumferentiales vix sic legi poterant. Sig. Praeceptoris Domus Marie Theut. in Pruzia.* Sequitur alterum documentum ex quo aliquis conjiceret, imaginem Virginis Mariæ fuisse insigne Prussiæ. Perhibet Waiffel. p. 133. Chron. quod Sec. XV. in celebri pugna Tannebergensi Ulricus de Jüngingen, unam exercitus partem sub vexillō B. Virginis, secundam sub Magistri gentilitio, tertiam sub Ordinis vexillo militare voluerit. Adde, quod Albertus Marchio Brandenb. certam monetæ speciem imagine S. Virginis decoraverit. Vid. Sch. VIII.

S. IX.

§. IX.

Si tamen quod r̄es est dici debet, ex his indiciis, effigiem Mariæ insigne totius Prussiæ fuisse non posse evinci existimamus. Etenim non omne, quod sigillo imprimitur, insignis vice fungitur, quandoquidem insigne splendidiori charactere exornatur, quam sigillum. Conf. Tholos. L.VI. de Rep. cap. XVI. n. 1. & Hoeping. de Jure insignium cap. XXII. n. 301. Vel ipsius Prussiæ sigilla discrimen hoc evincere queunt. Advertere enim licet, Privilegiis Prussicis, talia aliquando annexa esse sigilla, quorum imagines nunquam insignibus hujus regionis sunt annumeratae. In pugna Tannebergensi verisimile est imaginem B. Virginis insigne particulare fuisse constitutam, quo non obstante crux vexillum universale mansit. Nam & Romani solebant variorum animalium signa in bello præferre: cum tamen proprium ipsorum insigne Aquila fuerit. Alex. ab Alex. lib. IV. Gen. Dier. cap. II. init. Hinc in Waisselii narratione, insigne Ordinis ab effigie B. Virginis distinctum allegatur, sine dubio propterea, quod illud universale, hæc particulare signum fuerit. Monetæ character insuper non probat probandum. Aliquando Monetas ejusmodi figuris notatas advertimus, quæ nunquam insignis munus obibant. Etsi igitur ex allegatis documentis concludi possit, ordinem Teutonicum effigiem B. Virginis, cuius patrocinio se submittebat, sigillis, vexillis & monetis inseruisse: non tamen sequitur, cam insigne totius Prussiæ fuisse constitutam. Insigne Ordinis Teutonici tutic præcipue insigne Prussiæ fieri cœpit, cum Siegfriedus de Feuchtvangen XIII. Ordinis Teuton. Magister Generalis, constituta Marienburgi sede (quæ deinceps Regiomontum transferebatur) Prussiam per se administravit, ex Magistro Generali factus Provincialis, teste Petr. Düsburg. part. III. cap. CCXCVII, cum alias ante eum Magistri Generales Anconæ, ac deinceps Vene-

tiis residentes, per diversos Magistros Provinciales regiones gubernarent, Conf. de Origine Cruciferorum, illorumque in Prussiam ingressu Petr. Dub, part. I. Chron. Pruss. c. 1, Jacobus de Vitriaco L. I. Hist. Hierosol. c. 66. Marinus Sanutus Tortellus Lib. III. Secret. fidelium crucis part. VII. cap. 3. Polyd. Vergil. L. VII. de Invent. Rerum c. V. Raphael Volaterr. Lib. VII. Geogr. f. 80. Matth. Waisel, Chron. Pruss. p. 32, & 39. &c. Henneberg. Chron. Pruss. f. 360. Casp. Schüz. Histor. Rerum Pruss. f. 15. D. Venator Histor. Berichts vom Deutschen Orden Lib. I.

§. X.

Cum autem Cruciferorum apud nos tres æque ac exterorū Scriptores admodum celebre sit nomen, non inutiliter hic quærimus: num Crucis character huic primum Ordini insigne militare esse cœperit, eiq; soli proprius manserit: an vero apud alias gentes militiæ tessera fuerit? Plerorumque perswasio est, à Constantino M. demum consuetudinem Vexilla militaria, cruce signandi promanasse. Is enim contra Maxentium pugnaturus, visione quadam excitatus, labarum Romanorum in signum Crucis convertit. Duæ primæ literæ nominis Christi sibi invicem innexæ, quibus ex una parte α , ex altera ω jungebantur, ceu videre licet ex Sch. IX. characterem absolvebant. Suntque hodie Constantinopoli columnæ, à Constantino, usque putatur erectæ, quarum basibus clypei his notis signati incumbunt, teste Lipsio L. III. de Cruce c. XVI. Observamus in antecessum, quod celebris quidam Historicus persuasum sibi habeat, Constantinum M. non in cœlo sed in somnio Crucem, illam vidisse, cuius sententia salva veritate historica subscribere non possumus, quoniam inconveniens foret, geminam visionem contrahere in unam. Majorem fidem meretur Eusebius, quando ex ipsius Imperatoris narratione jurejurando sibi confirmata Lib. I. de Vita Constantini c. XXII. & XXIII. recitat,

Signum

signum hoc bis ab Imperatore fuisse visum, semel in cœlo tempore meridiano, cum precibus esset intentus, ac deinceps in somno, ubi Christum cum signo antea viso præcipientem advertit, ut exemplari ad imitationem signi in cœlo ostensi fabricato, in præliis uteretur. Addit Nicephorus Lib. VII. Histor. Eccles. c. XXIX. consternatum Imperatorem, quod de visione ea secum ipse ambigeret, amicos præsentes, an ipsi quoque idem viderent, percontatum, & ab iisdem confirmatum fuisse. Imo plura exempla historia suppeditat, quibus ostendi potest, res insignes crucis in cœlo charactere etiam coram vigilantibus fuisse decoratas. Nam eidem Constantino signum crucis diversis temporibus ter apparuisse Niceph. L. VII. cap. XXIX. XLVII. & XLIX. perhibet. Eō tempore, quō Constantinus Gallum Imperatorem declaravit, figura crucis quindecim stadia latæ, ac totidem longæ in cœlo splendens observabatur. Sozomen. Lib. IV. Hist. Eccles. c. IV. Etiam Anno 1097. crucis signum versus orientem recto tramite incedens apparuisse refert Fulcherius Carnotensis de gestis Peregrinant. Francor. c. VII. Cum sub Sixto IV. Rhodus à Turcis obsidione cingeretur, crux aurea in aère apparuit, illisque magnum terrorem incusit. P. Gregor. Tholos. Lib. XII. de Rep. c. XVI. §. V. Baionā quoque aliquando in potestatem redactā, candida crux in cœlo sub conspectum videbatur, teste Joh. Mariana Lib. XXII. de Reb. Hisp. c. XI.

S. XI.

Crucem ergo sub Constantino M. dētum insignie militare, proprium, universale, & certo consilio destinatum evasisse, historiā præeunte affirmare licet. Non inquam sermo hic est de aliquo *insigni typico*, quo sensu nonnulli Veterum, Abrahamum cum suis 318. domesticis contra hostes pugnante in cohorti sua constituisse memorant crucis insigne, quod tamen

non

non in vexillo sed in numero quærunt. Vid. Ambros. *Tom. II.*
Oper. in Prologo Lib. I. de fide ad Gratianum, & Paschal. *Diac. Rom.*
Prefat. Lib. I. de Spiritu S. Eodem modo intelligendi sunt illi,
qui Mosen, insigni crucis erecto, contra Amalec dimicasse af-
serunt, quod iterum non in vexillo, ast in manuum figura col-
locant. *Conf. Justin. Martyr Dial. cum Tryph. Judæo.* Neq;
controversia excitatur de *insigni particulari*. Potuit enim fieri,
ut agmen aliquod Christianorum sub Imperatoribus gentilibus
ante Constantimum M. castra lecutum, crucis insigne præferri
sibi curaverit, quemadmodum Légionem quandam Crucifero-
rum sub Maximiano vigentem, ex Antiquitatibus Augustæ Tau-
rinorum celebrat Emman. *Thesaur. Inscript.* p. 178. Multò mi-
nus de *insigni fortuito* problemá ventilatur. Constat quippe,
crucem casu quodam cum insigne militiæ, tum insigne hono-
ris evallisſe, ignorantibus tunc Auctoribus talis Symboli signifi-
cationem nobilissimam istius, ad quam Christianorum demum
religio illud evexit. Ea occasione character hic etiam apud
Gentiles ornamenti publici vicem subiit. *Conf. de usu Crucis*
apud Ægyptios Russin. *Lib. II. His. Eccles.* c. *XXIX.* *Socrat. L. V.*
c. XVII. & *Sozom. L. VII. c. XV.* Hinc Joh. Bapt. *Calal.* Serapi-
dem manu crucem gerentem depingi curavit, *L. de Ritib. Ægypt.*
c. XIII. Pari modo in bellis satis conspicuum ulum exhibuit.
Indicat istud Origenes *Homil. VIII.* in diversos. *Et trophya ipsa,*
& victoria triumphorum ornatae cruces sunt. Similiter Minu-
tius Felix in *Octavio*. *Et signa ipsa, & cantabra & vexilla castro-*
rum, quid aliud quam inauratae crucis sunt & exornatae? Tro-
phyæ vestra victoria non tantum simplicis crucis faciem, verum
& affixi hominis imitantur. Item Tertull. in *Apologet.* c. *XVI.*
Sipara illa vexillorum, & Cantabrorum stola crucium sunt. Adeo
frequenter enim figura crucis occurrit, ut eam Minutius Felix
l.c. & Anastasius Sinaita Patriarcha *Antiochenus L. IV. Anago-*
gic.

gic. *Contempl. in Hexaem.* Tom. I. Bibl. Magn. Patr. f. 177. in volucibus, pilicibus & hominibus quærant. Memorant insuper nonnulli, crucem jam ante Christum natum Hispanorum insigne fuisse. Vid. Simon Majolus Episc. Vultur. Tom. V. Dier. Canic. f. 172. Non solum in Cæsaris, sed longè ante eum in Consulum nummis crucis signum obleratum esse, tradit Hœping. c. XVII. de Jur. Insign. §. VII. sub fin. Intelligere ex his licet, quo sensu affirmari possit, demum tempore Constantini M. crucem insigne militare esse copiisse.

§. XII.

Postquam igitur Constantinus signum crucis in tam sublimem apicem extulit, etiam plures excelsæ dignitatis personæ publici Symboli honore figuram hanc condecorarunt. Etsi enim Julianus Apostata crucis effigie, quam Constantinus labaro impresserat, sublatâ, sua cum imagine Jovem, Martem, & Mercurium depingi curaverit, teste Sozom. Lib. V. Hist. Eccles. cap. XVI. à sequentibus tamen Imperatoribus cruci antiquus splendor restituebatur. Hinc cum Eugenius copiis suis Herculis simulacrum præferri mandasset: Theodosius crucem anteire voluit, Theodoret. L. V. Hist. Eccles. c. XXIV. Ad eam consuetudinem respicere videtur Ambrosius L. II. de fide ad Imperat. Gratianum circa fin. sic scribens: *Convertere Domine, fideiq. tua attolle vexilla.* Non hic aquile militares, neq; volatus avium exercitum ducunt, sed tuum Domine Jesu nomen & cultus. Clarius illam describit Hieron. Tom. I. Oper. Epist. ad Lætam f. m. 26, his verbis: *Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat.* Splendidum quoque testimonium reperitur apud Prudent. L. prior. contra Symmach. p. m. 410.

Christus purpureum gemmanti textus in auro

C

Signa-

*Signabat labarum, clypearum insignia Christus
Scriperat, ardebat summis crux addita cristi.*

Ferunt quoque, Veteres Victoriam personæ habitu decoratam imagine crucis exornâsse. Adeo familiaris tunc Imperatoribus Christianis & Principibus crux esse cœpit, ut non solum militiæ, sed Majestatis quoque suæ insigne illam constituerint. Vid. Sch. X. Imperatores Latini globos, characteres imperialis dignitatis, crucis desuper incumbentis figura exornârunt. Imperatores Græci crucem dextra manu gestarunt. Unde illam Theodoretus οὐρανὸν βασιλεῖον, Signum regium, & Greg. Nazianzenus δευτερικόν τεόπιον, Dominorum tropaum appellarunt. Successu temporis insigne crucis plures conseruit decorare. Arcadius Imperator, & auream monetam cruce insigniendam curavit, & Messanæ urbi Siciliæ crucem albam in campo rubro in præmium pro insignibus concessit. Tholos. L. XII. de Republ. c. XVI. §. VI. Osvaldus Angliæ Rex contra Britonum Ducem innumeris copiis instructum pugnatus, eminentem crucem erexit, ut memorat Beda Tom. III. Oper. L. III, Histor. Anglic. c. II. Bulgarorum quoque Duci in prælium exeundi crucem prælatam fuisse Cedrenus f. 443. Edit. Basil. 1566. affirmat. Præcipue Sec. XII. milites contra hostes ituri, crucis signo uti adfiscabant. Tunc enim hortatu Bernhardi Abbatis Clarevalensis grandes copiæ confluxerunt ad recuperandam terram sanctam, fueruntq; signata titulo crucis in vestibus & armatura, ut refert Helmoldus lib. I. Chron. Slavor. c. LIX. Quemadmodum ergo antea integer exercitus uno crucis charactere contentus erat: ita imposterum singulæ personæ cruce signabantur. Eum ob finem præter ordinem Teutonicum, de cuius Origine §. VII. quædam protulimus, plures Cruciferorum Ordines emergebant. Templarii album amictum rubra cruce decorabant. Milites Ordinis Cisterciensis Anno 1120. à Sanctio

Etio Rege instituti in regione Toletana, nigrum amictum cum rubra cruce gestarunt. In Lusitania milites Christi crucem rubram in atro amictu portabant. Alii ejusdem ordinis in diverso loco cruce viridi ornabantur. In Arragonia milites S. Mariæ vestitu albo nigra cruce signato amiciebantur. Milites Montesiae in Regno Valentia rubra cruce se ab aliis disciebant. Ordo S. sepulchri gemina, & Albatorum una cruce notabantur. Conf. Raph. Volaterran. *L. XXI. Antrop.* f. 244. & Polyd. Vergil. *L. VII. de Invent. Rer. c. V.* Signum hoc crucis veste ac arma decorasse tradunt præter Helmold. *I. c. Fulcher. Carnotensi. de gestis peregrinant. Francor. ad An. 1097. cap. III.* Gvibert. Abbas *L. II. Histor. Hierosol. c. V. & Lib. III. c. I.* Constat jam Cruciferos illos, qui in Prussiam pervenerunt, neque solos, neque primos crucis insignia gessisse.

§. XIII.

Cœterum, quam diu crux Prussiae insigne manserit, & qua occasione fuerit abrogata, nobis nunc est exponendum. Nimirum, postquam Cruciferis libertati valde assuetis post divisionem Prussiae sub Casimiro IV. Rege Poloniae factam, molestem videbatur, Polonorum imperio subjici: hac ratione illi se eximere posse existimabant, si potentes Ordinis Magistros sibi præficerent. Eam ob causam Fridericum Ducem Saxoniæ Magistrum Ordinis crearunt, qui iusjurandum, quod jam quatuor Magistri ante illum præstabant, licet monitus à Regibus Poloniae, per omnem vitam solvere detrectavit. Successit ipsi Albertus Marchio Brandenburgensis Gloriosissimus. Hic fretus Principum exterorum auxiliis, ultra 12. annos Regi Polonorum iusjurandum præstare recusabat. Fractus tandem belli pondere, Anno 1525. pacem cum Sigismundo Rege Poloniae erexit, inter cujus conditiones etiam hæc erat, ut ordo

Cruciferorum in Prussia penitus aboleretur. Haud invitō Alberto conditionem istam constitutam esse, verisimile est, quandoquidem jam antea in itinere Norimbergensi nempe Anno 1522. B. Lutheri consilium de Ordine Cruciferorum deserendo, & Prussiā in Politicam formam redigendā placidis auribus admisit. Depositū ergo tunc Albertus & habitum Ordinis Teutonici, & insigne crucis, ejusque loco à Sigismundo accepit insigne aquilam nigrā coronatam, cujus pectus litera prima ex Regis nomine S. exornabat. Conf. Caspar. Schütz. L.X. Histor. Rer. Prussic. f. 501. Plenè quoque id describit Fridericus à Nostitz in carmine Funebri super obitum Alberti edito Regiom. Anno 1563. lit. D. sic canens:

*Ordinis abjecit clypeos, insignia, vestem,
Fraterum, de Domini qui cruce nomen habent.*

Et lit. E. 3.

*Ordinis abjecit Marianum pallia fratrum,
Pallia Pontificum condecorata dolis.
Et sic quam tennit tellus, est facta Ducatus,
Fecit & baredes hac bonitate frui.
Rettulit inde Aquilam, nigro de Rege colore,
Hancque Sigismundi litera prima notat.
Ut sint in clypeis rari monumenta laboris;
Quem Dux pro patria ferre coactus humo est.
Ultq[ue] sciant omnes, quod qua suppressa jacebat,
Rege Sigismundo pax reparata fuit. Vid. Sch. XI.*

Ex eō tempore lublatā crucis figurā insigne Prussiæ nigra Aquila constituebatur. Nam etsi postea Albertus Fridericus, in honorem Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, literas S.A. pectori Aquilæ imprimendas Lublini acceperit, ut in descript. Polon. testatur Alexander Gvagninus, qui seipsum huic actu interfuisse memorat: etsi inquam deinceps post imperatum supremum

Do-

Dominium literæ hæ omissæ sint, ut Schem. XII. indicatur:
nigræ tamen Aquilæ antiquus character concedebatur.

§. XIV.

Videre jam licet, quinam ex commemoratis §. II. & III. titulis originem Insignibus Prussiæ conciliarint. Religio hic primas tenet. Ejus intuitu Prussos Gentiles insignia sua Deorum imaginibus expolivisse, non tam propter documenta historica, quoniam ista hic suspecta sunt, quam propter consuetudinem aliarum gentium, facile largimur. Præcipuè ad crucis figuram in Insignibus ferendam Religionis consideratio Prussos Christianos induxit. Neq; enim inconveniens est, ut milites Christiani, præsertim inter infideles constituti, hâc tessera fidei suæ professionem demonstrent. Hunc in finem Constantium M. vexillo suo eam inseruisse, testatur Sozom. Lib. I. Histor. Eccles. c. IV. his verbis: *Signum imperii Romani arbitror à Constantino ob hanc causam in signum crucis mutatum, ut assiduo ejus aspectu & cultu subjectos suos pedetentim à patriis ritibus desvesaceret, cumq; solum Deum existimarent, quem coleret Imperator atque illo Duce & Adjutore in bello contra hostes gerendo uterentur.* Gemina istis promit Durellus Histor. Rituum cap. XXV. p. 276. Crucis signum ideo primum in vita communi à Christianis usurpari cœpit, ut ea ratione profiterentur, se Christi crucifixi, quem ut Deum colebant, & Servatorem agnoscabant, nequaquam pudere. Nimirum, non signum sed res significata virtutem singularem exserit. Scitè Hieronymus Comment. in Ps. XCV. *Ego crucem dico non lignum sed passionem, Crux ista & in Britannia est, & in India est, & in universo terrarum orbe.* Alias, si solus crucis character efficaci vi præditus fuisset, qui factum est, quod cruce signati non raro loco speratae victoriae insigni jactura multatati fuerint? Quis enim adeo hospes est in historia patria, qui ignoret, Cruciferos Prussiæ Moderatores multoties magnis cladibus fuisse afflictos?

C 3

In

In aliis quoq; regionibus cruce signati haud raro damnum sunt passi. Eos inter Sec. XIII, Najam patruus Regis Maximi Tatarorum, Christianorum alias sacris iniciatus, ut Dominum suum throno dejiceret, exercitu suo 40. millibus militum constanti, vexillum crucis charactere exornatum praferri curavit: Sed copiis invicem commissis, Najam captus, ejusq; multitudo in ipsa fuga occisa est. Marc. Paul. Venet. Lib. II. de Region. Orient. c. IV. Præterea *Donationis* titulo Prussi insignia sua impetrabant. Vel enim propter merita, vel ex gratiâ singulari, vel propter spem auxiliorum illis crux, lilia & aquilæ ab Imperatoribus, Regibus & Pontificibus concedebantur. Aquilæ signum insuper, si primam ejus in Polonia originem spectes, titulum *cæsus singularis* involvit. Nimirum, cum Sec. VI, Lechus I. Polonica gentis Author, primæ urbis fundamenta jecisset, nidum aquilarum in eo loco reperit. Quam ob causam urbem novam propter inventum nidum, appellavit Gnesnam, quæ vox in lingua Sarmatica ad nidi nomen alludit; ast aquilam Insigne Poloniæ constituit. Ergo aquila alba expansis alis erecta tanquam tessera boni auspicii etiam successoribus ejus insigne manebat. Vid. Matth. de Michovia L. I. *Chronici Polon.* c. I. Tom. II. *Rer. Polon.* Ed. Pistor. Basil. 1582, & Salom. Neugeb. init. Lib. II. *Histor. Rer. Polon.* p. 40.

S. XV.

Observamus hic, Serenissimos Prussia Ducalis Dominos respectu Prussia quidem aquilam nigram; ast tanquam Marchiones Brandenburgicos aquilam rubram insignibus suis inserere. Eam Marchionibus Brandenburgicis Henricus Auceps Imperator Sec. X, concessisse dicitur. Sanguinei erat coloris, ut significaretur Marchiam multo languine ad fidem Christianam perductam, & Romano imperio suisse conjunctam. Conf. Joh. Limnaeus Lib. V. Jur. Publici German. c. VII. §. 127. p. 193. Posteriorum rationem præcipue respicit Georg. Sabinus L. Epigram, p. m. 272. de Aquila Brandenburgensi sic canens:

Dum

Dum Volucres alie cum Cesaris alite bellum
 llinguis armatis exitiale gerunt:
 Fortia signatus regali pectora sceptro
 Ales, Cesarca fatus adhæsit avi.

Etiam colores enim in Insignibus certam significationem præse ferunt, quos inter Niger potentiam, perseverantiam, patientiam & prudentiam: Rubeus fortitudinem & altitudinem denotat, Vid. Limn. L. VI. de Jur. Publ. c. VI. §. 65. qui insuper §. 120. indicat, insignia Principum, regionum & urbium propterea locis publicis & sublimibus affigi, ut sint symbola eminentis dignitatis. Deniq; considerationem duarum istarum aquilarum non esse inutilem, sed tacita informatione subditis officia quædam erga Dominos suos instillare, innuunt inscriptiones quædam ingressui Serenissimi ac Potentissimi Friderici Wilhelmi An. 1641. Regiomonti in publica Machina consecratæ. Earum una Aquilæ Brandenburgicæ significationem sic explicabat:

Brennonum nota fascium refusa
 Ales, sanguine, sanguinem tuorum
 Monstrat, Dux bone, Martiumq; pectus.

Altera aquilæ Prutenicæ imaginem hac commendatione revolvebat :


Index Prussidos ales atra, Princeps
 Conflantes memorat tuos, nec unquam
 Adverso potuisse Marte vincit.

Claudimus Dissertationem nostram verbis celebris cuiusdam de Insignibus Scriptoris, monitum & superiori de Cruciferis considerationi, & præsentis temporis solennitatí admodum conforme continentibus. *In id in primis operam da, ut insigne Cbristi crux non tam scuto, vestive tua, quam anima impressa fulgeat,*
& tum vel Regis insignibus ornatiorem te incedere ne dubito.

SOLI DEO GLORIA.

Mantissa de Sigillo Prussiae ad p. 12.

ALiud insuper promimus indicium, quo ostendi potest effigiem Mariae & Iosephi Sigillo Prussiae, ejusque Dominorum fuisse insertam. Nempe, ut memoratum Privilegium Regiomontanis concessum ad seram posteritatem integrum transiret, iterum A. 1385. Mens. Januar. in templo Palæopolitano præsentibus Presbyteris & Vicariis, auctoritate Henrici Kessing Pro-Consulis dictæ Urbis in aliam membranam, quæ adhuc asservatur, & integrum Privilegium cum descriptione Sigilli continet, translatum est. De Sigillo ibi hæc habentur: *Sculptura vero literalis, crux. Sigillum Praeceptoris domus Sanctæ Marie Theutonicorum in Prussia. Pro media sculptura Sancta Virgo Maria puerum manu sinistra tenens, Ioseph asinum per frenum ducente, considebat. Parte vero eminentiori quasi apparatus arborum conspiciebatur.* Apparatus illearborum propter extatis tractum in Sigillo originali amplius non apparet, quemadmodum & voices peripheriæ insertæ haud integræ nunc advertuntur, verum his literis designatæ ORIS DOM. S. MAR. TEUTH. I. PRUZIA. Reliqua ex transumptis sunt suppleta. Ipsum autem privilegium, cui Sigillum hoc adhæret, sat manifestis characteribus est concinnatum, & elegantiorem scripturam, licet antiquius sit, quam Transumptum continent. Mirum sane est, Privilegium istud, una cum Transumptis Privilegium ipsum & Sigilli descriptionem continentibus, tamdiu adeo latuisse, ut quanquam olim Moderatores Regiomonti illius notitiam ad posteros transmittere serio cupiverint: tamen post inventam typographiam nunquam fortè typis sit impresum.



Qu' Italia vel veteres tulerint insignia Prussi,
Vel postquam fasces accepit Theutonis Ordo,
Per gentis varios apices, & vique meatus,
Usque ad Supremos Dominos deducta recensens,
Rem non indignam praestas. Nam nosse paternæ
Telluris faciem, civi lex imperat ipsa.
Scilicet haud solis riserunt lilia Gallis,
Prussica sed pulchro decorarunt signa colore.
Non sibi sola potest aquilas decernere Roma,
Quando coronatae gratâ sub imagine frontis
Per Prusias volitant terras, famâque favente
Quâ patet, æternis implent clangoribus orbem.
Nec tu Threiciæ magis audis propria terræ
Crux Domini. Nam mox velut in sublime Theatrum
Emergens, clypeos Regum, diademate major,
Scuta Ducum, Heroum cristas, vexilla cohortum
Signâsti, donec Prussi labentibus annis
Ad tua juratis properabant stemmata turmis.
Ista perorantes hunc insignia linguae,
Quam se felici virtus Prutenica gressu
E tenui extulerit per maxima culmina culto.
Aet Tibi Respondens Patriæ dum discutis arma,
Candida Sors faveat! subiectas illa tabellas
Cernens, picturas meliores transferat in te,
Lilia nempe altis calathis, ferta atque corollæ,
Et quicquid superest ornatus, donec Honoris
Ad templum sumptis Aquila Te devehat alis.
Insignes parient Tibi sic insignia fructus.

*Ita Nobilissimi Domini Respondentis laude
dignis conatibus applaudefbat*

P R A E S E S.

D

Arma

Arma* meos inter *Pruisos* conspecta celebras,
Istorum repetens splendida signa Ducum.
Hoc opus, ille labor quem tanti dextra Magistri
Collegit, studii fert monumenta tui.

Pruorum qui jam signat *Jovis Aliger arma*,
Sub cuius forti tegmine nostra salus,
Ille tuæ (si fata volunt) mox Palladis hastam
Signet? Brinnonis munus ab arce ferens.

* *Per Catachresin non ineptam insignia
arma vocata sunt.* Henricus Spel-
mannius de clypeis pag. 32.

*Nobiliss. Dn. Respondenti Amico suo
suavissimo boni omnis ergo
f.*

JACOBUS CONCIUS, Reg.

In signem tua te faciunt insignia nobis,
Insignem probitas reddidit atque *labor*?
Hæc ergo insignem meruere insignia laudem,
Laus est æternis ista notanda cedris.
Hæc Pater, hæc laudis mirentur signa nepotes,
Hinc veniant generi splendida signa tuo.

Ita

Nobiliss. Dn. Respondenti de insigni eruditio-
specimine gratulatur

ANDREAS LAU, SS. Theol.
& Phil. Stud.



78A6390



86-

b77



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
0	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Centimetres	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	

Farbkarte #13



EXERCITATIO HISTORICA,
DE
**IN SIGNIBUS
PRUSSIÆ,**

Quam

AUXILIANTE DIVINO NUMINE,
CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN INCLYTA ACADEMIA REGIOMONTANA,

Anno Domini 1713. Jannar.

In Auditorio Philosophorum,

*Publico Eruditorum judicio
exponunt*

M. MICHAEL HOYNVIUS,
Scholæ Löbnic. Rector,
& **HEINRICUS SIVERTZ,**
Philosoph. Studios.
Dantiscanus Prussus.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS. 7.